



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Signis Prædestinationis, Et Reprobationis, Et De Numero Prædestinatorum, Ac Reprobatorum

Recupito, Giulio Cesare

Lvgdvni, 1681

Cap. XIX. Vndecimum prædestinationis signum, Religio erga Deum, &
Sanctos: Reprobationis, irreligio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44272

CAPVT XIX.

Vndecimum prædestinationis signum, Religio erga Deum
& sanctos: reprobationis, irreligio.

CCXXXIX.

Dico decimonondò. Prædestinationis signum est religio erga Deum ac sanctos: sicut reprobationis, irreligio.

De religione erga Deum probatur id à priori, quia omne id, quod specialiter conjungit hominem cum Deo, tanquam cum primo principio, spirituale prædestinationis est signum. Sed religio erga Deum est hujusmodi. Ergo, &c. Major patet, quia idem est primum principium, & ultimus finis ad quem homo per prædestinationem transmittitur. Ideo dicitur Apoc. 22. *Ego sum Alpha & Omega, principium & finis.* Minor probatur, quia *religio*, ut ex Isidoro lib. ethym. notat S. Thom. 2. 2. quæst. 81. art. 1. *dicitur à relegendo ea, quæ ad divinum cultum pertinent.* Et ibidem addit, *alligari debere hominem cum Deo tanquam cum indeficienti principio*, in iis utique quæ pertinent ad Dei venerationem, & cultum.

Apocal. 22.
Religio vn-
&c sic dicta.

D. Thom.

Confirmatur primò, quia honor Deo exhibitus signum est gloria à Deo exhibendæ. Ideo dicitur 1. Reg. 2. *Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Nulla autem major apud Deum ignobilitas, quàm reprobatio: sicut non alii apud Deum nobiles, quàm electi.

Sanctorum
in cælo exer-
citiium est
Deum lau-
dare ac ve-
nerari.
Apocal. 5.

Confirmatur secundò, quia in cælesti patria totum prædestinatarum exercitiium situm est in veneratione & laude Dei: ideo dicuntur Apoc. 5. *vigintiquatuor seniores cecidisse in facies suas, & adoravisse viventem in secula seculorum*; quod pertinet ad venerationem: *cantantes canticum novum, dicentes, Dignus es Domine, &c.* quod pertinet ad laudationem. Ergo ii, qui hîc se exercent in venerando & laudando Deo, specimen quoddam præferunt cælestium civium, ac proinde specialem prædestinationis notam.

Confirmatur tertidò, quia qui de Dei maiestate ut par est, sentiunt, ac veneratione tam interna quàm externa se illi subditos profitentur, signum exhibent quod in eius Regno sint semper visuri quem hîc ut suum Regem agnoscunt. Contrà verò ij, qui, cum de Deo aut divinis agitur, irreverenter se gerunt; hi se gerunt ac si non Deum, sed alium sibi præesse Regem agnoscerent, nempe diabolum, sub enim tyrannide sunt per totam æternitatem subjiciendi. Profecto dæmonibus ipsis pejores: nam dæmones credunt, & contremiscunt: hi verò aut in Deum non credunt, & sic reprobi cum atheis: aut credunt, &

non contremiscunt; & sic reprobi dæmonibus nequiores; qui, ut di ximus, credunt & contremiscunt. Ex his collige proprium esse electorum de Deo reverenter loqui, res sacras reverenter tractare, in Templis reverenter adesse: quæ ad Dei cultum pertinent, non amittere: ad Deum in angustiis confugere: libenter Dei verba audire. Quod postremum tanquam prædestinationis signum à Christo Domino traditur, Joan. 8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit*: sicut e contrario Dei verba audire cum rædio, vel non audire, reprobationis est signum. Ideo subditur, *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*. Hæc de signo prædestinationis in religione erga Deum, reprobationis in irreligione.

Verbum Dei libenter audire, prædestinationis est signum. Joan. 8.

Quod verò pertinet ad religionem erga sanctos viros, in hoc quoque constitui speciale prædestinationis signum, probatur primò de Scripturis Psal. 14. ubi Propheta cum hanc eandem quæstionem instituisse de prædestinatis; *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* respondet, *Qui ingreditur sine macula.* &c. infra: *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus: timentes autem Dominum glorificat.* Signum igitur à Propheta statuitur prædestinati, *glorificare timentes Dominum*: & præ illis nihil ducere malos, quantumvis appareant in temporalibus gloriosi & sublimes. Quod si hoc dicitur prædestinationis esse, glorificare timentes Deum, etiam nondum mortuos; quantum magis sanctos in cælesti gloria collocatos, à qua non possunt excidere.

Psalm. 14.

Probatur idem secundò ratione à priori, quia ad eundem habitum religionis pertinet cultus Dei, & cultus Sanctorum ut amicorum Dei: sicut eorundem est venerari Regem, & Aulicos amicos Regis. Si igitur cultus Dei prædestinationis est signum, eiusdem etiam signum erit cultus exhibitus amicis Dei.

Cultus erga Deum & Sanctos ad eundem habitum pertinet.

Probatur idem tertio ex patrocinio Sanctorum: Quicumque enim habet in Aula patronos, qui gratia valent apud Principem, & medium habet & signum, quod eorum patrocinio impetraturus sit quod petit à Principe. Sed ii, qui speciali devotione Sanctos colunt, habent in cælesti Aula patronos, qui gratia valent apud Deum. Quamobrem Gregorius homilia 3. in Evangelia, *Hos*, inquit, (Sanctos) *in causa vestri examinis, quam cum districto Indice habebitis, patronos facite: hos in die tanti terroris defensores adhibete.* Patrocinium autem Sanctorum obsequio emimus. Ideo idem Gregorius infra, *Adsumt defensores nostri sancti Martyres, rogari volunt; atque, ut ita dixerim, querunt, ut querantur. Hos ergo adiutores vestris orationibus quarite: hos protectores vestri reatus invenite; quia ne punire peccatores debeat, rogari vult & ipse qui iudicat.*

Gregorius.

CCXL. Sancti à nobis inuocari volunt, ut patrocinium in nos exhibeant.

Confirmat hoc idem Gregorius ibidem exemplo cuiusdam martiris, qua ad Martyrum (Processi & Martiniani) Ecclesiam crebro

veniebat. Hæc quadam die, dum ex more ad orandum venisset, egrediens duos stantes sub peregrino habitu Monachos inuenit: peregrinos credidit, dari eis aliquid elemosinæ præcepit. Sed priusquam eius erogator eis ad largiendam elemosinam propinquasset, asciterunt illi vicinijs, & dixerunt, Tu nos modò visitas, nos te in die iudicii requiramus, & quidquid possumus, tibi præstabimus. Quo dicto, ab oculis eius ablati sunt. Illa facta est post hoc tantò instantior in prece, quantò latior in promissione. Si igitur Sancti, patrociniū suum apud Christum Iudicem præstant suis deuotis & clientibus; possunt hi meritò collocare speciale suæ prædestinationis auspiciū in hac clientela, cū neque ipsi auxilia denegent clientibus apud Christum, neque Christus aliquid eorum precibus denegat, qui hîc pro eo passi sunt: quia, vt notat Chrysostronius sermone de Iuuentio & Maximo, qui habetur tomo 3. *Sicut milites vulnera sibi in præliis inflicta Regi monstrantes fideliter loquuntur; ita & illi (martyres) absecta capita gestantes, & in medium efferentes, quæcumque voluerint, apud Regem calorū impetrare possunt.* Quod si sanctus Dunstanus, vt narrat Baronius anno Christi 959. cū adhuc viueret, Eduino Regi defuncto suis precibus impetrauit, ne anima eius ad inferos damnaretur: multò magis id impetrare poterunt Sancti cū iā viuunt in cælis potiti Deo. Quippe, vt ait Nazianzenus oratione 14. *Nunc tantò magis proficiunt nobis precibus, quantò sunt Deo propinquiores.* Idcirco appellantur Sancti à Basilio oratione in 40. Martyres, *communes humani generis custodes.* Et Hilarius in Psal. 142. dicit, *non deesse stare volentibus Sanctorum custodiam:* quasi & ipsi Sancti ministerium exhibeant Angelorum custodum, Nempe, vt ait Ambrosius libro 8. in Lucam in fine, *sicut Angeli præsent; ita & hi qui vitam degunt Angelorum.* Quod specialius intelligendum est de Sanctis alicuius regni, vrbs, oppidi, seu communitatis patronis; ad quos spectat ex munere prædestinationis dirigere ad finem salutis: & sic obsequiū erga eosdem, prædestinationis est signum. Quod præcipuè militat in obsequio erga Apostolos, qui etiam nunc præsent Ecclesiæ: & potissimū erga Petrum, qui, vt ait sanctus Leo sermone 3. in anniuers. suæ assumpt. *Nunc quoque mandatum Domini pius Pastor exequitur, pro nobis orare non cessans, vt nulla tentatione superemur.* Hoc patrociniū maius aut minus, maiori aut minori obsequio correspondet: ac proinde speciale obsequium signum est specialis patrociniū.

Chrysostronius.

Sanctorum
in nos patrociniū.
Nazianzenus.Basilius.
Hilarius.

Ambrosius.

S. Leo.

Confirmatur, quia Sancti ex obsequio illis præstito accrescunt in gaudio & gloria accidentali. Ergo ex virtute gratitudinis, quæ in Beatis est longè perfectior, beneficium pro beneficio rependunt: ac proinde pro gloria accidentali impetrant suis clientibus à Deo gloriam essentialē: vnde infertur obsequium Sanctis præstitum, pignus esse gloriæ assequendæ.

Confirmatur

Confirmatur secundò, quia viatores qui Beatis præbent obsequium, jam habere incipiunt amicabile commercium cum iis, cum quibus conversaturi sunt in cælis: & sic signum habent quod futuri sint Sanctorum concives, qui hîc amicabiliter se gerere incipiunt erga Sanctos. Nempe, ut notat sanctus Maximus sermone de Martyribus *Sancti eos, quibuscum iis familiaritas est, & in corpore viventes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt.* Contrà verò ii, qui erga eosdem sunt parum affecti & inofficiosi, signum reprobationis habent: utpote ab eorum societate perpetuò separandi, cum quibus nullo hîc commercio copulantur. Hoc in cultu, & veneratione Sanctorum prædestinationis signum haberi potest tum extensivè, tum intensivè: extensivè in iis, qui erga omnes aut erga plures Sanctos affecti sunt, iisque præbent obsequium: intensivè in iis, qui erga aliquem Sanctum insigniter sunt affecti, illique eximium aliquod præstant obsequium. Quippe valde probabile est à sancto illo homine, eximie de se merito, eximium etiam præstari auxilium, impetrando ei à Deo gratiam efficacem finalem, per quam saluetur. Nimirum Deus, qui hoc ipsum ut medium prædestinationis assumit, facile condonabit offensam inimico in gratiam amici. Hæc de prædestinationis signo in cultu Sanctorum.

Hæc autem quæ de Sanctis diximus, qui inter nos vixerunt, ab Ecclesia canonizatis, ampliantur primò ad sanctos Angelos, præsertim custodes: ita ut in affectu erga illos constituatur speciale prædestinationis signum.

Patet id primò è Scripturis, Exod. 23. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat ad locum quem præparavi. Observa eum, & audi vocem eius.* Signum igitur quod introducturus sit ad locum quem Deus præparavit; de quo dicitur electis, Matth. 22. *percipite Regnum præparatum vobis; ab origine mundi est, si quis observet eum, nempe venerando; & audiet vocem eius, nempe obediendo internis inspirationibus per eum immissis.* Idem dicitur Exodi 33. *mittam præcursorem tui Angelum, ut ejiciam Chananeum, &c. & intres in terram fluentem lacte & melle:* id est in terram promissionis, per quam passim Patres adumbrari docent Paradisum.

Patet idem secundò à priori, quia omne id quod conjungit principio trahenti prædestinationis medium, prædestinationis est signum. Sed affectus erga Sanctos conjungit nos principio trahenti prædestinationis media. Ergo, &c. Maior patet ex terminis. Minor patet ex dictis tom. 2. Theol. libro 3. qu. 4. num. 17. ubi ostendimus omnia divina dona immitti nobis per bonos Angelos: sicut omnes nostræ preces ascendunt per eosdem ad Deum. Et ideo vidit Iacob, Gen. 28. *Angelos ascendentes, & descendentes, ut ibidem notatum est.* Quippe

Maximus.

Eximium erga peculiare quemdam è sanctis obsequium, eximium ab eo nobis meretur patrocini-um.

Affectus erga Angelum custodem prædestinationis est signum.

Exod. 23.

Matth. 22.

Exod. 33.

Genes. 28.

Angeli in
prædestina-
torum præsi-
dium a Deo
sunt speciali-
ter dati.
Ad Heb. 1.
Hilarius.
Ambrosi.
Angeli va-
riis similitu-
dinibus
adumbrati.
Zach. 1.

Angeli dati sunt specialiter in præsidium prædestinatorum, ut eos dirigant ad finem salutis, ut ait Paulus ad Hebræos 1. *missi propter eos qui hereditatem accipiunt salutis.* Quod notans Hilarius in Psal. 129. *intercessione*, inquit, *Angelorum non natura Dei indiget, sed infirmitas nostra: missi enim sunt propter eos qui hereditabunt salutem.* Ideo Ambrosius libro de viduis ultra medium, *Obsecrandi*, inquit, *sunt Angeli, qui nobis in præsidium dati sunt.*

Confirmatur ex variis similitudinibus, quibus adumbrantur sancti Angeli in Scripturis. Primò dicuntur equi, Zach. 1. *Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum: & post eum equi rufi, varii, & albi.* Per virum qui stabat super equum rufum, Angelum intelligi patet ex sequentibus, *& responderunt Angelo Domini*, &c. quem Hieronymus, Theodoretus, & communiter Interpretes volunt fuisse sanctum Michaëlem Iudæorum patronum; sicut per equos rufos, varios & albos, alios Angelos Michaëlis sequaces. Dicuntur autem equi rufi, varii & albi, per connotationem eorum quos custodiunt: scilicet equi rufi, ii qui custodiunt martyres: albi, qui virgines: varii, qui varios alios fideles. Dicuntur etiam equi ignei, 4. Reg. 6. *Ecce mons plenus equorum & currum igneorum in circuitu Elisæi*, ut notat Lyranus, propter protectionem Angelicam. Porro per equos intelliguntur, per metonymiam, ipsimet equites, ut notat Cornelius in locum citatum Zachariæ. Ac proinde describuntur Angeli tanquam potissimus quidam equitatus, qui prædestinatis præstò est contra exercitus dæmonum. Ideo sponsa dicitur similis equitatus Pharaonis, Cano. 1. quia nimirum, ut ait Bernardus sermone 39. in Cant. *Angelicis fulva ministeriis, & superno stipata agmine sponsa incedens, similis est equitatus Domini; qui quondam in curribus Pharaonis tam stupendo divini adjutorii miraculo triumphavit: equitatus nempe Angelorum, à quibus Pharaonis exercitus demersus est.*

Secundò dicuntur Angeli maceria, & sepes Ecclesiæ: ideo dicitur Cant. 2. *columba mea in foraminibus petra, in caverna maceria*; id est sub custodia Angelorum, ut exponit cum Cassiodoro, Beda & Anselmo, Bernardus sermone 62. ubi, *licebit*, inquit, *unicuique vestrum cavare sibi cavernas superna maceria; & beatarum virtutum status, & mansiones, à minimo Angelorum usque ad Cherubim & Seraphim, tota mentis alacritate percurrendo lustrare.* Consonat his quod dixit Christus, Matth. 21. de patrefamilias, *qui plantavit vineam, & sepem circumdedit ei*: nempe, ut volunt Origenes, Hieronymus, Ambrosius, & passim alii, custodiam Angelorum: sepes adeo fortes, ut alii muros appellent Ecclesiæ. Ideo Augustinus in Psal. 124. *ambiant Ecclesiam Angeli, & quasi murum illi faciunt.* Alii munitiones: ideo Hilarius in eundem Psalmum, *non desunt stare volentibus Angelorum munitiones.* Alii denique custodes murorum: ideo dicitur Isaia 62.

Angeli se-
pes, & muri
Ecclesiæ.
August.
Hilarius.

Super muros tuos Ierusalem constitui custodes: per quos Bernardus sermone 4. de Dedicatione Ecclesiæ intelligit in Ecclesia Angelicam custodiam esse superpositam, ut muros defensent, & eos qui murorum ambitu continentur.

Tertio, Angeli dicuntur Dei aures & oculi, Psal. 33. *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.* Quod explicans Basilius Oratione in eum Psalmum, *Sancta, inquit, spirituales virtutes (Angeli) aliqua oculi dicuntur, quod curam susceperint nos interuifendi: nonnulla aures, ut que nostras excipiant preces.* Ac proinde si volumus à Deo aspici, & audiri; ad hos oculos, ad has aures est confugiendum. Hoc specialius competit septem spiritualibus, qui in conspectu throni eius sunt, Apoc. 1. hi enim cap. 5. dicuntur *oculi septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.* Dicuntur tanquam septem Dei oculi, quia per hos septem Angelos Deus prouidentiam exercet circa omnia creata; præsertim circa prædestinatos, speciali prouidentia ad suum vltimum finem ducendos. Dicuntur autem hi septem Angeli, Iob 12. *astare ante Dominum,* & loco citato Apoc. *missi in omnem terram;* quia tanquam supremum consilium præponuntur & omnibus precibus, tanquam libellis supplicibus Deo præsentandis: ideoque dicebat Tobiaë Raphaël, *Ego obtuli orationem tuam, &c.* Et omnibus Dei donis atque illuminationibus, quæ sunt à Deo fidelibus per inferiores Angelos transmittendæ. Horum igitur speciale obsequium, speciale prædestinationis est signum; cum Deus per eorum patrocinium specialiter prouidentiam exerceat circa prædestinatos, ut dictum est. Speciali autem obsequio speciale patrocinium respondet, quod non cadit nisi supra electos.

Inter hos septem spiritus, qui septem oculi, per quos Deus specialiter respicit prædestinatos, principem locum obtinet Michaël; cuius qui sunt specialiter studiosi, signum prædestinationis habent speciale: Tum quia ad ipsum, ut patronum totius Ecclesiæ, spectat specialis cura electorum, quæ speciale obsequium postulat: Tum quia ad eundem spectat præsentare Deo animas in particulari iudicio: ac proinde eiusdem est assistere morituris, excitare electos ad perseverantiam finalem: quam, iuxta suauem diuinæ prouidentiaë modum, sui studiosis magis enixè curabit, quàm aliis. Quippe, ut ait Pantaleo Diaconus homilia de sancto Michaële apud Lippomanum in sancti Michaëlis festo, *Michaël est qui consolatur pusillanimes, agrotos visitat. fide iubet pro peccatoribus, vitiorum flammam restinguit.* Et infra adiciens Gabrielem: *Per duos, inquit, Michaëlem & Gabrielem, descendit omnis datio bona, & omne donum perfectum, quod desuper mittitur in terram: hæ enim sunt dua maxima, & paris momenti luce diuinitatis.* Nuperrimè excitata est in Italiâ, miraculi cuiusdam occasione, deuotio sancti Raphaëlis; per quem, sicut olim Deus me-

Isa. 62.
Bernard.

Psal. 33.
Angeli oculi
dicuntur &
aures De.
Basilius.

Apocalyp. 1.

Tobia 12.

Sancti Mi-
chaëlis spe-
cialiter stu-
diosi præde-
stinationis si-
gnum habet
speciale.

Lippoman.

delam attulit corpori, ita nunc animis, & præcipuè electorum, qui Tobia sunt affectæ.

Sophronius
Const. Arch.
Angelorum
vati tituli.

His tribus supremis Angelis quatuor alii adiunguntur: & sic sunt *septem Angeli missi in omnem terram*. Innumerabiles alias, quibus Angeli adumbrantur, similitudines complectitur Sophronius Archiepiscopus Constantinopolitanus Oratione 6. de excell. Angel. vbi, *Vos, inquit, estis omnium Regis administri, vos venti, & spiritus, & aqua, & principes, & equi, & exercitus, & Diaconi, & Apostoli, & Prædicatores, & Propheta, & Evangelista, & custodes, & præsidet, & conservatores, & abactores, & conductores, & via duces, & inquisitores, & libripendes, & calculatores, & opum datores, & luminaria, & lampades, & montes, & colles, & nubes, & indices, & susceptores, & relatores, & defensores, & decertatores, & divina specula, & simulara, & imagines, & nauta, & naues, & gubernatores*. Ex his, aliisque

Apocal. 21.

Cornelius.

Ambrosius.

titulis licet inferre quanti momenti sit Angelorum præsidium ad prædestinationis finem. Idcirco Apoc. 21. dicitur cælestis Hierusalem habere *portas duodecim, & in portis Angelos duodecim*. Quippè, ut notat in hunc locum Cornelius, *Angeli sunt socii, ductores & receptores Sanctorum*: nempe ut in cælo ianitores & custodes portarum: quia scilicet, ut notat Ambrosius in comment. epist. ad Coloss. 1. *Omnes credentes, qui fixa mente devoti sunt, exeuntes de saeculo duce dextra partis Angelo inducuntur in cælum*. Sicut igitur in vrbem à militibus custodita, qui conciliant sibi portarum custodes, facilem ad eas ingressum habent; ita facillè intrat in cælum, qui obsequio sibi devincit Angelos custodes portarum, cum habeat *in portis duodecim Angelos duodecim*. Ideo Bernardus in Psalmum *Qui habitat, ser. 14. Quam facillè, inquit, transit (utique ad cælum) qui portatur manibus Angelorum*. Hæc de signo prædestinationis in obsequio erga sanctos Angelos.

CCXLII.
Defectus in
Angelorum
obsequio re-
probationis
est signum.

Affectus er-
ga animas in
purgatorio
detentas præ-
destinationis
est signum.

Contra verò in defectu talis obsequii, reprobationis est signum: Tum quia erga eos, qui deficiunt ab hoc speciali obsequio, signum est quod Angeli pro eo non exercent specialem providentiam, quæ ab iis exercetur circa electos: ac proinde signum est quod sint reprobi: Tum quia, cum de eadem anima quodammodo litigent Angeli boni & mali; illi ut salvetur, hi ut damnetur: qui non afficiuntur erga Angelos bonos, signum est quod adhærent malis, sub eorum tyrannide cruciandi post mortem, quorum voluntati obsecuti sunt in vita. E quibus patet prædestinationis signum, quod supra collocavimus in devotione erga sanctos homines ad cælum transcriptos, ampliari debere ad effectum erga sanctos Angelos, speciales in prædestinatione administratos.

Ampliatum idem secundò ad effectum erga animas in Purgatorio detentas. In quo affectu speciale signum prædestinationis constituitur.

suadetur primò è Scripturis 2. Macc. 12. *salubris cogitatio est pro defunctis orare, ut à peccatis solvantur.* Salubris cogitatio, ergo ducit ad salutem: & sic prædestinationis est signum.

Suadetur secundò, quia si misericordia erga viuentes prædestinationis est signum, vt ostendimus cap. 10. multò magis misericordia erga defunctos. Tum quia remotior est ab omni spe temporalis gratiæ referendæ. Tum quia viuentes possunt aliquo modo cooperari ad subleuandos se à miseria, defuncti nullo modo possunt. Tum quia misericordia, quæ aliis & aliis viuentibus per alia opera exhibetur, tota simul erga defunctos in vno opere adunatur. Quippe esurientes pascere, sitientes potare, vestire nudos, visitare ægros & detentos in carcere, excipere peregrinos, redimere captiuos, sepelire mortuos, quæ septem opera sunt misericordiæ corporalis, adunantur omnia altiori modo in auxilio, quod per suffragia fidelium exhibetur defunctis: qui & esurientes, & sitientes, & nudi, & ægroti, & peregrini, & captiui, & mortui. Ac porinde omnia misericordiæ opera exercentur, dum, vt ait Augustinus lib. de octo quæst. ad Dulcit. qu. 2. *defunctorum anima viuentium releuantur.*

Misericordia & opera adunantur in suffragiis fidelium erga defunctos.

Augustinus

Adde quod illæ, dum in purgatorio degunt, omnes in se pœnas adunant, quæ per multos dispersæ sunt in hac vita. Siquidem, vt ait idem Augustinus, *grauior est ille ignis, quàm quodlibet quod pati potest homo in hac vita.* Exhibentur quippe iis opera misericordiæ spiritualis subleuando eas à maxima miseria, quæ est pœna damni: & erigendo eas ad beneficium omnium maximum, nempe ad ipsam visionem Dei. Vnde fit, vt quantò præstantior est gloria quàm gratia, tantò maius sit beneficium cooperari vt defunctorum animæ collocentur in gloria, quàm vt viuentes siue collocentur, siue perseuerent in gratia.

Suadetur idem tertio ex gratitudine, quam debent tales animæ iis quorum opere eductæ sunt è tot miseriis, & cõstitutæ in statu summæ felicitatis. Plus enim valet visionis Dei, status beatifici acceleratio, quàm omnium mundi regnorum felicitas, etiam durans per mille annos. Ex quo sequitur vt animæ illæ, quæ eos vident Verbo, quorum industria accelerata est illis gloria per horas, menses, per annos. qua caruissent, si talia & talia suffragia non habuissent; ex gratitudine debeant pro iis efficaciter intercedere apud Deum, vt ii in æternum gloria non careant, per quos ipsæ potitæ sunt gloria. Habet profectò magnum suæ prædestinationis omen qui tam potentes, apud Deum intercessores habet. Adde ex Bellarmino tom. 2. lib. 2. de Purg. cap. 15. easdem animas à Deo exaudiri etiam dum in purgatorio detinentur: cum sint in statu gratiæ non quomodocumque, sed confirmatæ. Quod etiam variis reuelationibus constat. Ex quibus apparet eas posse iuuare, dum iuuantur: vt patet ex Gregorio Dia-

Animæ, quæ in purgatorio detinentur etiam ibi à Deo exaudiuntur.

342 *Duodecimum prædestinationis signum*
log. lib. 4. cap. 40. & Damiano in epistol. de miraculis sui tem-
poris.

Suadetur, id quartò, quia ii, qui officiosi sunt erga has animas, si-
gnum habent quòd in eo statu aliquando erunt, in quo eis rependi
possit officium. Hoc autem rependi non potest nisi in statu saluatio-
nis. Contra verò qui erga easdem animas inofficiosi sunt, & minimè
affecti, signum habent quod de earum numero non erunt: neque vn-
quam collocabuntur in statu, in quo suffragiis iuuari possint, qui
alios minimè iuuerunt suffragiis.

CAPVT VLTIMVM.

*Duodecimum Prædestinationis signum, Deuotio erga
Deiparam: reprobationis, indeuotio.*

CCXLIII. **D**uodecimum, & potissimum prædestinationis signum est affe-
ctus; & vt vocant, deuotio erga Deiparam. Ita ferè communis
sensus fidelium: & probat Pelbartus in stellario lib. 2. pag. 2. cap. 1.
Spinellus de B. Virgine cap. 34. num. 18. & deinceps. Binettus in
libello, qui inscribitur, *Deipara tessera salutis*. Oliuerius Bonartius
in Eccles. 24. Cornelius ibid. v. 13. vbi dicit à *granibus Theologis do-*
Cornelius. *ceri signum prædestinationis, & electionis diuina esse cultum, & de-*
uotionem assiduam erga Virginem.

Probatur primò è Scripturis. Quis, vt clariùs procedamus, distin-
guemus in tres classes, in oracula, in figuras, in similitudines. Quod
attinet ad oracula,

Genes. 3.

Maria est
quæ serpen-
tis caput
contritura
promissa est.
Cyprianus.

Bernardus.

Primus locus est Genes. 3. vbi Deus dæmonem serpentis figura
tectum alloquens, *Inimicitias*, inquit, *ponam inter te, & mulie-*
rem: & semen tuum, & semen illius, Ipsa conteret caput tuum.
Quem locum explicans Cyprianus lib. 2. testimon. adu. Iud. cap. 9.
mater, inquit, *Domini nostri Iesu Christi in illa muliere promissa est.*
Hac inimicitias opposita est serpentis. Ponam, inquit, inimicitias inter
te, & mulierem. Non dicit, pono, ne ad Euam pertinere videretur.
Verbum promissionis est, quod transmittitur in futura. Nimirum,
vt ait Bernardus serm. in signum magnum, *Ipsa Virgo est quondam à*
Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput virtutis pede contri-
tura. Scio Septuaginta interpretes vertere, ipse conteret caput, refe-
rendo ad semen mulieris, quod in hebræo est masculini generis. Quam
lectionem sequitur Irenæus lib. 4. contr. hæres. cap. 78. Cyprianus
lib. 1. testim. cap. 9. Chrysol. serm. 173. Leo serm. 2. de nat. & alii.
Vulgata tamen editio habet, *ipsa conteret*, &c. quam sequitur Am-